

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ

Charlas, Antoine

Leodii, 1684

Cap. XII. Quæ sint vera justitiæ libertatum Ecclesiæ Gallicanæ
fundamenta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38227

C A P U T X I I .

Quæ sunt vera iustitiae libertatum Ecclesiæ Gallicanæ fundamenta.

1. **S**tas libertates Galli sœpius autoritate , & exemplis tueruntur , quām ratione , licet aliquibus etiam videantur rationibus posse defendi. Remissis ad librum sequentem exemplis satis erit hic observare legitimas illarum libertatum causas nonnisi duas esse posse.

2. Etenim vel nova lex justa est , quod , ut diximus , de Conciliorum Canonibus , ac summi Pontificis Decretis sentendum est , quoties contrarium evidenter non apparet ; ac tunc acceptanda est , nec sine peccato repudiari potest , nisi de expresso , vel saltem tacito legislatoris consenu : vel lex injusta est ; Hanc autem ex ipso jure naturali licet non acceptare. Itaque duplex est iustitiae titulus , scilicet expressus , vel tacitus Ecclesiæ consensus , quantum ad leges justas , & jus naturale , quantum ad injustas ; Quanquam in ipsis etiam non deest Ecclesiæ consensus. Quis enim credit Ecclesiam , aut summum Pontificem in rebus etiam injustis obedientiam exigere.

3. Hoc autem intererat inter utrasque leges , quod si iustæ sint possit Ecclesia etiam invitatos adigere , ac reluctantēs ligare. Licet enim ab exercenda tota sua potestate prudentissimè abstineat , cūm majora prævidet ex rigore consecutura mala , & scandala , quām ex observatione legis bona , & commoda ; ideoque recusationem , ac inexecutionem dissimulet , nec ea de causa fidelium , corum præsertim penes quos nulla est autoritas , quibusque difficultimum esset ab aliorum usu recedere , conscientias illaqueari patiatur : tamen si instaret , intenderetque omnino legem observari , puta satius judicans scandala permittere , quām malitia , ac contumacia cedendo , veritatem , aut iustitiam deserere , parendum certè foret , nec qui tunc resisterent , aut non obtemperarent , peccati reatum evaderent , quantumvis consuetudine , sacerdotali

TRACTATVS DE LIBERTATIBVS, &c.

98 TRACTATVS DE EDITIONE
lari potestate , aut alia quavis ratione se tuerentur. At vero
si lex injusta esset , quod , ut diximus , præsumendum non
est , nec requireretur Ecclesiæ consensus , nec noceret ejus
dissentus.

4. Recurrit circa justitiam libertatum Ecclesiae Gallicana difficultas, circa earum definitionem orta; nihil scilicet differre Gallicanam Nationem à ceteris in acceptandis, vel recusandis legibus Ecclesiasticis; Siquidem nulli non licet legum executioni supersedere, si vel annuat Ecclesia, vel penitatis rerum, locorum, ac personarum conditionibus, injustum sit, ejus mandatis ad litteram servire. Verum discri- men illud à Gallicanis Autoribus notatur, quod cum cæterae nationes sese summorum Pontificum Constitutionibus submi- scerent, Gallia verò suā etiamnum fruatur libertate, diffici- lius sit illis impositum jugum excutere, quam Franciæ non- dum suscepimus recusare.

5. Attamen si res attentius consideretur, ac æquiter pen-
setur, repetendum semper est duplex, quod diximus, fun-
damentum. Si enim sine causa repudiatae sunt à Gallis Constitu-
tiones ab aliis receptæ, non nisi ob tacitum Ecclesiæ con-
fensem ab inobedientiæ peccato immunes sunt. Si autem is
erat in Gallia rerum status, ut ei, sicut cæteris Provinciis
Orbis Christiani leges illæ non converirent, jure naturali,
& ipsa Legislatoris intentione ab earum executione liberari ex-
titerunt. Nec enim nocet disciplinæ diversitas, dum eam exi-
git morum dissimilitudo.

6. Cæterum magnopere cavendum est, ne leges Ecclesiæ eo tantum nomine injustæ reputentur, quod commodis, & rationibus temporalibus non sint accommodatae, tantum libertatem in occasionem detis carnis. Gal. 5. L. I.